



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Sanctis Martyribus Africanis Philoromo, Eugenio, Quincto, Januario,
Saturnino, Vincentio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS. *Romanis Pontificibus ait* : Fuit autem temporibus Veri et Marci. Nam hi, etsi anno demum Christi 161, Imperium susceperunt Antonino Pio nonis Martii mortuo, tamen jam ante erant Cæsares dicti : in Fastis enim consularibus, anno Pii 16, L. Aurelius Cæsar et Sextilius Lateranus Consules leguntur.

3 Porro de Hygino pauca admodum sunt prodita literis. Liber de Romanis Pontificibus tradit natione Græcum fuisse, ex philosopho de Athenis, ejusque genealogiam non inveniri, ac deinde : Hic Clerum composuit et distribuit gradus. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, Presbyteros 13, Diaconos 3, Episcopos per diversa loca 7, (alii 16) qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, in Idus Januarii, et cessavit Episcopatus dies 3, Abbo, dies 2. Quod Clerum composuisse dicitur, Baronius antiquæ formæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ, jam a temporibus Apostolorum constitutæ, aliqua ab eo addita, vel illustrata existimat : aut certe quæ Trajani et Adriani persecutionibus collapsa erant, restituta ab eo sunt. Ciaconius Cardinalium munus, non nomen, a principio Ecclesiæ viguisse docet; (neque enim unius hominis viribus tantam geri molem potuisse, nisi plures Presbyteros aliosque ministros haberet et adjuutores) horum regiones, officia, necessarios ad sustentationem proventus, titulos, ab Hygino aliisque Pontificibus, varie ordinata, distributaque.

6 Sub Hygino Romanæ urbis Episcopo, inquit Eusebius in Chronico ad annum Antonini Pii 2, Valentinus hæresiarches et Cerdo magister Marcionis Romam venerunt. Insigni zelo et industria impiorum hominum fraudes discussisse videtur Hyginus, ut congerere licet ex iis quæ S. Irenæus scribit lib. 3, cap. 4: Valentinus enim venit Romam sub Hygino, increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino, qui fuit octavus Episcopus, sæpe in Ec-

clesiam veniens et exomologesin faciens sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesin faciens, modo vero ab aliquibus tractus in his quæ docebat male, et abstentus est a religiosorum hominum conventu. Eadem scribit Eusebius lib. 4, cap. 10. Hæc si cuncta sub Hygino facta, ut videtur asserere Irenæus, nã ille insigni fuit vigilantia, eruditione, magnitudine animi; qui versipellem illum impostorem deprehenderit, confutarit, ejecerit e fidelium cætu, nihil veritus quas concitare turbas poterat, eo præsertim tempore.

7 Quæ alia sanxisse traditur Hyginus, aliis examinanda relinquimus. Extant duæ sub ejus nomine epistolæ, quæ Magno et Camerino Coss. datæ dicuntur, altera ad Athenienses, altera ad omnes Christi fideles. Tum a Gratiano capita quædam citantur ex Hygini Decretis. Baronius certe ea quoque consulto omisit. Nec desunt quidam viri docti, qui nonnulla saltem ex iis suspecta habeant. Referuntur tom. 1 Conciliorum, a Ciaconio in Hygino, Ribadeneira in vita Hygini, Platina, Jacobo Doubletio, Petro de Natalibus lib. 2, cap. 64, Andrea du Chesne, atque aliis qui Pontificum Romanorum vitas scripsere; imo et in Breviario Pauli III auctoritate, Francisci Quignonii opera concinnato.

8 Tandem Plautio Silvano, et Sentio Augurino Coss. Antonini Pii anno 18, Christi 136, gloriosos labores martyrii triumpho terminavit Hyginus. Nam quod in omnibus Martyrologiis Martyr appellatur, id proprie accipiendum videtur, nisi quæ alia manifesta obstat ratio. Repressa quidem fortassis tunc erat, Antonini Pii edicto, persecutio, at non omnium impiorum mitigata sævitas, ut non potuerit vel alio prætextu a quopiam Judice morti addici, vel tumultu plebis ab idolorum sacrificiis concitata trucidari. Molanus in Notis ad Martyrologium Usuardi, et Onuphrius Panvinius in Addit. ad Platina, Martyris titulo honorari existimant, quia pro Christi confessione multa passus sit.

Vigilantia et zelus contra hæreticos.

Epistolæ Decreta.

Martyrium.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS PHILOROMO, EUGENIO, QUINCTO, JANUARIO, SATURNINO, VINCENTIO.

XI JANUARI.

De his MS. Martyrologium S. Hieronymi : In Africa Philoromi, Eugenii, Quincti, Januarii, Saturnini, Vincentii. De Philoromo (eodemne an alio, non omnino liquet) agemus ti-

tulo sequenti. Duo Philoromi referuntur in antiquissimo Martyrologio MS. conventus Dungalensis in Hibernia, quod et Eugenii, Quincti, Januarii, Vincentii meminit; Saturnini nomen vetustate ac situ obliteratum est.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

POLYEUCTO, CANDIDIANO, PHILOROMO.

XI JANUARI.
Horum SS. natalis.

De his vetus Martyrologium monasterii S. Martini Tornaci : Passio Sanctorum Polyucti, Candidiani, et Philoromi : qui pariter in confessione Christi perseverantes igni traditi sunt. MS. Hibernicum conventus Dungalensis et MS. Rhinoviense, itidem pervetusta, hoc ipso die Philoromum referunt. Carthusiani Coloniensium in Addit. ad Usuardum editis anno 1313 et 1321, xvi Januarii, Polyucti, Candidiani, et Philoromi Martyrum. Acta eorum damus ex codicibus antiquis MSS. bibliothecæ Marci Velservi, et monasteriorum S. Maximini Treviris et S. Bertini in civitate S. Audomari. In MS. S. Maximini Poleuctus dicitur, qui aliis Polyuctus. Tempus et locus martyrii non exprimitur.

Acta.

ACTA EX VETERIBUS MSS.

Vivunt concordis.

Si quis unanimitatem Polyucti, Candidiani etiam, et Philoromi sanctorum Martyrum contemplatus sit, non solum eos pro passionibus suis admirabitur, sed et per fidei firmitatem, atque immobilem et incon-

cussam eorum unanimitatem quam semper ad invicem servaverunt, multo magis stupescet. Ita enim convenienter atque unanimiter propter Dei verbum, et ejus fidem quam plurimum transegerunt tempus, ut etiam facile et manifestum conspiciantur intemperati ac stabiles sensus eorum. Ita fideliter ad invicem justitiæ amicitias salvaverunt, ut prorsus in nullo delinquerent. Tales erant circa fidem, tales etiam circa verbi doctrinam, ut facile quis contemplari posset probatissimam eorum unanimitatem.

2 Neenon et illud etiam his superadauctum bonum silentio non decebat præterire, fratres carissimi, sed magis laudibus condignis emulare, ut in tantis superpetenti periculis, tantis etiam decretorum tumensibus minis, non terrentur; sed brevissimas quidem temporales minas judicantes, breviores vero et ejus cruciatus, simul se disposerunt in illo diaboli fervore errantes docere, et a malis arcere, et pro Verbo pati. Ita in omnibus festini et unanimes curcibatant, ut eos quidem, qui a consensu erant quod circa divinum verbum, suaderent : eos vero qui animo b incredibili erant

Fidem Christi prædicant.

a
b